

I. N. D.

R. 12

DISPUTATIO RHETORICA,

De

# BONO HYPO- CRITA,

*Quam*

Consentiente Ampl. FACULT. PHIL.

In florentissima Academiâ Aboënsi,

PRÆSIDE,

Dominico Mariae CHRISTI ERNO  
ALANDRO,

Eloque PROFESSORE Regio & Ordinario,  
h. t. RECTORE MAGNIFICO, Patrono &  
Præceptore suo ætatem deve-  
nerando,

*Rhetoribus sobriis*

*Discutiendam communicat*

ALEXANDER ALEX:  
KEPPLERUS, B:F:

*Horis locoque constitutis*

Ad diem Sept. Anni M. DC. XC. IX.

Impr. apud J. L. WALLIUM.

*Olaus*

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

Magnæ Fidei VIRIS

Illustrissimo Baroni & Domino,

Nobilissimo Domino,

DN. JOHANNI

Ribbing/

Militiæ Eqvestris Ny-

landorum CHILIARCHO

Inclito.

DN. ALEXANDRO

Hummerhielm/

Turmæ Nobilium Fin-

landorum OPTIONI Stre-

nissimo.

DOMIN

RATIOSIS,

ANNOS MULTOS ET FELICES!

**N**on mibi jam mens est vestras heic dicere  
laudes,

Nec celebrare animus, quantū Illustrissime BAR.

Turba novena tuam saturavit mētarementem

Convenit ast memorare mihi tua facta benigna,

Q̄d plene experior claros radiosq; favoris

Q̄orum semper erat spes vi suffulta Parentū

Sub quā umbrā tutus semper requiescere letor.

BARO Magne tuus sum: quicquid moliar, istu

Jare tibi & merito debetur; spernere nolu

(Nam precor) idecirco, quod jam deponere tento,  
Respic mitis at hoc humilis mentis documentū.

Tu quoque ALEXANDER minimus quod tra-  
dere conor

In signum obsequii, placato suscipe vultu.

Vivite felices multos in Nestoris annos,

Heroes Magni! calido ceu corde precatur!

HEROUM MAGNORUM

servus humilius  
Alex; Kepplerus.

Nobilitatis & meritorum  
Admodum Reverendo, Spectatissimis, Plurimum  
Patronis, Promotoribus & Evergetis sumi

DNI. JOHANNI Godenhielm/

Regii Parlamenti quod heic Aboæ  
est, ADSESSORI Gravissimo & Ex-  
cellentissimo.

DNI. ANDREÆ Prys/

Consuli Inelytæ hujus Civitatis con-  
sultissimo & Juris tenacissimo.

DNI. ABRAHAMO JUSLENIO,

Præposito & Pastori in Somero in-  
signiter merito & gravi, Nutritio per  
aliquid tempus propensissimo.

M. GABRIELI

Secretario & Adjuncto  
accuratissimo

gloriâ maximè conspicuo,  
Reverendis, atque Clarissimis Dominis ac Viris,  
liter colendis & plurimum Honorandis,

M. ISAACO Pihlman/

Ling. Orient. Professori Celeberrimo,  
Eccl. Fenn. Ab. Pastori Laudatissimo,  
Consist. utriusque Assessori Dexterrimo.  
& Fac. Phil. h. t. Decano Spectabili.

DNI. HENRICO JUSLENIO,

Judici Territoriali Nörheburgensi  
æqvissimo prudentissimoque.

M. ABRAHAMO THURONIO,

Pastori Ecclesiaz Rimittoënsis fidelis-  
simo dignissimoque.

JUSLENIO,

Regiæ hujus Academiaz  
solertissimoque.

SALUTEM PLURIMAM!

**V**os O Patroni, Fautores suspiciendi,  
Affines Domini, simul & mibi san-  
guine juncti,

Nonnulli pariter vite morumque magistri.  
Plurimus omnino fuerat favor usq; paratus  
Vester & est mibi jam, meus ast erit us la-  
bor omnis,

**V**os ut contra colam, tanquam veneraque  
Parentes.

Hec quæ jam vobis, juvenilia profero dona,  
Deprendo meritis non respondentia Vestris.  
Effectu siquidem nequeo, tamen heic ego  
vellem

Significare ea me submissa agnoscere mente.  
Jam non plura habeo, voceo sed pectore toto,  
Felices vobis DELS ut impertiat annos !

**V**os igitur jam Fautores, summi que  
Patroni

Hicce valete ! mibi semper proporro favete  
Nominum Vestrorum.

Humilissimo & assiduo  
cultori

Alex. Keppler.

De

BONO HYPOCRITA,

Publice cum laude differenti,

*Ornatissimo Juveni,*

DN. ALEXANDRO  
KEPPLERO,

*Tereptisixos:*

Plures thyrsigeros, paucos est cernere  
*Bacchos:*

Dixerunt veteres cum ratione  
viri.

Dicere KEPPLERUS pergit, nos cernere  
*Bacchos,*

Cernere sed totidem thyrsigerosque  
simul.

*Quod amic. ergo  
fest. ded.*

AND. WANOCHIUS,  
S. S. Theol. Prof.

*Ad Pereximum Studiosum*

**DN. ALEXAND. KEPPLERUM**

*Patruelē meū dilectissimum,*

*Subitaneum de BONO HYPOCRITA judicium.*

**R**ebus in adversis qui dissimulare dolorem

Incepturnque potest texere gnavus opus

Dicitur arbitrio perversus hypocrita nullo,

Prudētis potius nomine dignus erit (qvārit,

Qvo virtus prematur magis, hoc magis ardua

Sic qvoq; Palma caput pondere presta levat,

Ceu facit hic noster KEPPLERUS, tela sinistræ

Fortunæ forti pectore ferre studens :

Ion minus ille alacer Musarum castra secutus

Præmia virtutis certa labore petit.

*Hypocritam hunc igitur, justo sub judice res sit*

*Esse neges ullum, aut dixeris esse bonum.*

*ABRAHAM JUSLENIUS.*

---

Laboribus egregiis

*Egregii Adolescentis*

**ALEXANDRI KEPPLERI,**

*Sangvine & Sudis conjunctissimi,*

*De Bono Hypocrita egregie disputantis.*

**Q**ui bene divisos reteggit, Mellite! recessus

*Artis Hypocriticæ, quaque paranda via*

*Acceptæ teneare tuæ sic arris amore*

*Ne pro laudatis deteriora petas!*

Affectu quam verbis prolixior  
adplaudebat

*GABRIEL JUSLENIUS.*

Hac mea fac quæso, prospera cœpta fore.

CAP. I.

**N**on minus scite quam perite  
princeps ille Philosophorum  
dixerat Aristoteles: (a) Quæ  
scribuntur *Orationes*, plus va-  
lent propter dictionem, quam propter sen-  
tentiam. Hic enim vir doctissimus,  
cum præstantiam tum utilitatem pro-  
ponit actionis oratoriæ, illam, utpote  
qua nullo modo bonus orator carere  
potest, ob amœnitatem quam confert  
uberrimam; hanc, quæ si non inten-  
datur, non modo finis negligeretur o-  
rationum; sed plus consuetudinis & glo-  
riæ ambiendæ, quam alia aliqua causa,  
cunctæ dicerentur *orationes*; quod ne-  
quaquam viros olim celebratissimos  
& huic studio indulgentissimos fecisse  
crediderim, quippe qui reipublicæ con-  
servandæ sæpe etiam pacis reconcili-

A

andæ

(a) *Rhet.* l. 3. c. 1.

andæ ergo, suas sententias sermone dō-  
cto proclamarunt. Cui usui etiamnum  
hodieque maxime inservit Hypocrisis  
quam Asconius (β) vitam appellavit *O-  
rationis*, quia sine ea orationis membra sunt  
velut emortua, sine sensu, sine motu. Est  
autem Hypocrisis ipsa pronunciatio sive  
actio oratoria, quam nos titulo *Boni  
Hypocrita* sub incudem disputationis  
mittere decrevimus. Idecirco primo  
omnium, urgente lege Methodi, de na-  
tura & proprietate vocis *Hypocrita* sol-  
liciti esse tenemur; quod ipsum faci-  
entibus notandum est dictum vocabu-  
lum trahi a verbo græco ὑποκρίνωμαι,  
quod explicatur, simulo, fingo, ut (γ)  
ἐχειν ὑποκρίνεσθαι μανίαν ἀλλὰ μαίνεσθαι, non  
simulare insaniam sed insanire. Item:  
aestimo, judico, censeo, (δ) οὐ τρέπο  
βέλτιον ὑποκρίναιο συντρόφον, tu melius hoc  
tecum aestimares. Exponitur etiam  
interpretor explico, ut in isto: (ε)  
εἰδέναι ὑποκρίναιτο οὐψιν ἀδεμιάν, ne u-

nam

(β) citat. a Voss: de pronunc: (γ) apud Luc. de  
salt. (δ) Plut. (ε) Philostr.

nam visionem quidem interpretari possent. Dicitur & de Histrionibus personam alicujus induentibus. (ζ) ε.  
 $\pi\alpha\gamma\sigma\delta$  π ἡ βέλεται σχῆμα ὑποκρίνεται ; hinc deducitur *Hypocrisis* simulatio, gestus Histrionis, unde etiam in comediis & tragœdiis actio ipsa vocatur *Hypocrisis*. Peculiariter qua quis probitatem præ se fert, revera nequitiae & improbitatis plenus, ceu de ejusmodi vitio laborantibus loquitur Sacra Scriptura A Rhetoribus item *Hypocrisis* appellatur, quam Latini pronunciacionem seu actionem vocant, in gestu motuque præcipue consistentem. Ita Kirchmannus: (η) *Hanc partem Rheto- rices, pronunciationem latini, Hypocrisin Graeci vocant.* Eam nonnulli figuram faciunt Rheticam, utpote Plut: Jul: Ruf: & hic quidem figuram sententiæ, referente Causino. (θ). Nostrī autem Rethores ex hujus tractatione partem constituunt sui operis, idque

A 2

ductu

(ζ) *Herodian. l. i. (η) de pronunc. (θ) Lib. 7. C. 7.*

ductu Aristotelis (1), qui primus hanc partem Rheticæ artis animadvertisse videri voluit, viresque maximas habere docuit exemplo Histriorum, quibus agentibus Poemata longè gratiora sunt, quam si Poetæ ipsi pronunciarent. Re tamen omnes conveniunt, scil: quod sit *Hypocrisis concinnatio vocis moderatio, & gestuum representatio rebus de quibus agitur ad amissum respondens*. Hinc Hypocrita alias simulator, qui aliud pectore clausum habet, aliud ore promit, quod ironiam sapit: etiam Histrio, in actione cum nostro Hypocrita quodammodo conveniens est at dignitate impar. Nos autem significationem ultimam abstracti retinentes, dicimus bonum Hypocritam esse, qui ad rem scite se & sua attemperat, sine hac enim virtute, quippe quæ sola in dicendo dominatur.

(2) Tullius summum oratorem, in nullo habet numero, dicens mediocrem hac instructum summos sæpe oratores su-

(1) *Tal. c. 1. l. 2.* (2) *Tal. l. 2. c. 2.*

superasse. Quamobrem ab ipso quoqz  
Aristotele celebratissimæ *Hypocritæ*, se  
tosos dedere Cicero & Demosthenes,  
summi quandoque oratores, hic ete-  
nim eam utramque facere paginam in  
Rhetorica profitetur, percontantique  
cuidam quid in dicendo sit efficacis-  
simum, respondisse fertur: *η ἵπορειος*,  
secundo deinde & tertio interpellatus  
idem dixit, totum se illi debere confi-  
tendo, & hâc ratione eandem primâ-  
riam & unicam Eloquentiæ virtutem  
esse affirmabat. Sic etiam recte Æ-  
schines, qui ob ignominiam judicii, re-  
lictis Athenis, se Rhodum contulit, i-  
bique rogatus orationem suam in Cte-  
siphontem contra Demosthenem con-  
scriptam pronunciavit, quâ prælectâ,  
orationem illam contra â Demosthene  
pro Ctesiphonte editam proclamavit,  
hic cum bonum *Hypocritam* se præstisset,  
singulis id admirantibus quanto inquit,  
*magis admiraremini, si Demosthenem ipsum*  
*audissetis*, quippe qui gestibus verba &

verbis gestus ipse optimie accommo-  
dare sciret, sic tantus orator & modo in-  
festus adversarius inimici vim ardoremque  
dicendi suscepit, ut se scriptorum ejus pa-  
rum idoneum lectorum esse diceret: (n) im-  
possibile namque censens adversarium  
alterius vim examissim referre posse.  
Nullum igitur superest dubium, quin  
*Hypocrisi* multum valeant oratores, de  
qua re etiam Cansinus (u) ita differit:  
*In Eloquentiae potissimum exercitatione con-*  
*formari soles actio, cuius vis maxima est,*  
*& ad omne momenium persuasionis efficac-*  
*essima: est enim corporis quedam Eloquentia* &c.  
Quod etiam comprobatur e-  
xemplo Hortensii, qui decorum mo-  
tum corporis, pluris Eloquentia aesti-  
mans, tantam apud auditores concilia-  
vit delectationem, ut de eo referat Val.  
Max: (v) dicens: *Itaque nescires, utrum*  
*cupidius ad audiendum eum, an ad spectan-*  
*dum concurreretur: sic verbis oratoriis aspectus*  
*& rursus aspectui verba serviebant.* Item  
(x) de hisce singulis Val. Max. l. 8. c. 9. (μ) Lib.  
g. de pronunc. (v) Leo super: cisato.

dicitur de Demosthene, quod maxima pars ejus absit, cum legatur potius quam audiatur, tametsi orationem conscriperit optimam & laudatissimam. Verum enimvero ut laus *Hypocriseos* sit maxima, ita difficultas hoc artificium parandi, illa non est minor. Varios quidem prescribunt Rethores modos actionis, pariterque de vitiis ejusdem emendandis monent, at cum **Causino** (ξ) supervacaneum ducimus de iis longam præceptorum texere seriem, quæ potius (verba ejusdem Causini (ο)) e naturæ cujusque affectione, viva voce & continua exercitatione petenda sunt, quam ex scriptorum monumentis exspectanda. Item est autem cuilibet promptius actionis vitiis & deformitates notare, quam quid optimum sit, in tanta corporum & ingeniorum varietate, definire. Interim tamen placuit Rethoribus; aliquid de actionibus variis & affectibus generaliter tractare; quæ pro re nata à quovis dicendi perito attendenda, ne forte excessum in hisce

(ξ) L.9. de pronunc: (ο) ibidem.

hisce fieri contingat: ( $\pi$ ) ut enim neglectus actionis, in aliud vitium, rusticitatis sc. incidit, ita affectatio immo-  
dica & nimis delicatus lepos invisus est, & in seriiis præsertim orationibus haud immerito suspectus. Ideoque con-  
stat Demosthenem ( $\varrho$ ), ut mediocritatem servaret, in opposito speculo ge-  
stus suos spectasse, quo eos paulatim  
modeste componeret, diciturque ( $\sigma$ ),  
inquietos suos humeros, quos mirum  
in modum jactarat, mucronibus ex ad-  
verso pendentibus cohibusse: quin et-  
iam ad *Hypocriticam* hanc artem addi-  
scendam tam ille quam Cicero summi  
alioquin oratores histrionibus usi sunt,  
ita tamen ut observarint quod monet  
Fab: Quintil: ( $\tau$ ) *Nec gestus quidem omnis,*  
*ac motus a comedis petendus est: quanquam*  
*enim utrumque eorum ad quendam modum*  
*præstare debet orator, plurimum tamen ab-*  
*erit a scenico, nec vultu, nec manu, nec ex-*  
*cursionibus nimius: nihilominus cum ex*

H.

( $\pi$ ) *Caus: C: 2.* ( $\rho$ ) *Tal. L. 2. c. 7.*

( $\sigma$ ) *Tal: I. 2. c. 9.* ( $\tau$ ) *L. I. c. 19*

Histrionum conversatione non minimum lucri in actione sua oratoria reportarint oratores, ita in eis, eorumq<sup>ue</sup> munere occupabitur.

## CAP. II.

**D**E Histrionibus unde oriundi sint variavere autores, Festus eos ab Histriâ venisse asserit, & sic à nomine regionis Histriones appellatos: verum ei refragantur Plutarchus & Livius: hic enim affirmat, (v) nomen Histrionibus inditum fuisse, qvia Hister Hetruscorum lingua Ludio audit. Qvaeles fuerint Histriones, qvarum facultatum & munerum, indicant præcipue verba Aristotelis (φ) *An horum facultas absque cupiditate sit, nescitur enim tantummodo ad oblationem: illi namque summum collocarunt studium in canendo, fabulas agendo, in motu corporis & qvibuscunq<sup>ue</sup> gestibus sese exercendo: hos matutino tempore exerceri solitos licet inspicere apud Ari-*

B

sto-

(v) *L. p. C. 2. (φ) Probl. Sccl. 18.*

stotelem, (x) cur autem hoc factum sit, adjungit rationem dictus auctor, nempe hanc, qvod cibus ingestus arteriam exasperet & spiritum reddat fervidum ideoqve vocem corrupti, qvod modulationem inhibet, hominemqve ad canendum, minus idoneum facit: porro, non tam saturatos, quam jejunos, habiles esse ad saltandum & semet movendum, liqido constat: oportet igitur Histriones modice cibatos fuisse, ut re postulante, artem suam expeditius praestare valerent: *exhibilatur enim & exploditur Histrio si paucum se mobit extra numerum*, ait Cicero (ψ). gravissime etiam punitos, qui male partes egissent, testatur Lucianus, (ω) qvod tamen ne intra ludos & scenam fieret, tandem prohibuerat Augustus. (α) Numero, hi ipsi Histriones vel Ludiones plurimi fuerant & sic pro varietate argumentorum, peculiare nomen

for-

(x) *Probl. Sat. 10.* (ψ) *in Parad. 3.*(ω) *de mercede conduct. p. 374.* (α) *Svet. vit: Aug: cap. 45.*

fortiti: quidam eorum, personam aliquam in comediis agendo, nonnulli iterum poemata Poetarum prælegendo, operam suam obtulerunt, cum eam quis conduxit. Itaque non pigebit, prout ex auctoribus liquet, varii generis Histriones sigillatim describere. Eorum nominatissimi & maxime celebres fuerant Roscius & Æsopus, quorum meminit Val: Max: ( $\beta$ ) dicens eos Hortensii inspectores fuisse, hoc causas agente in curia, ut ibidem peritos gestus, in scenam referrent. Ille autem usque adeo suæ artis peritus fuerat, ut præcellens quisque in arte quavis ~~uari~~ ἐξουσία Roscius appellatus sit. Roscius, inquit Festus, dicebantur in omnibus perfecti artibus: propterea quod Roscius quidam perfectus unus in arte sua id est comedia judicatus est. ( $\gamma$ ) Roscius hoc jam diu est assecutus, ut in quo quisque artificio excelleret, in suo genere Roscius diceretur. Hic ita Ciceroni amicitia junctus fuit, ut eisdem patrocinium quondam

( $\beta$ ) lib. 10. cap. 10. ( $\gamma$ ) Cicero de oratore

dam a Fannio in judicium vocatus, meruerit, qva de re etiamnum hodieque Ciceronis extat oratio qvæ pro Roscio Comœdo inscribitur. Hoc ipso Roscio ut & Aſopo magistris, ut bonus *Hypocrita* evaderet usus fuit Cicero, similiiter Satyro informatore inclaruiffe Demosthenem liquet e Tak: ( $\delta$ ) qvin etiam librum conscripsit Roscius, ( $\epsilon$ ) in qvo histrionicam cum Eloqventia comparare conatur. Aſopus hic, ut contradistingvatur Aſopo alteri, Philosopho Phrygi, dicitur ( $\zeta$ ) Tragicus, insignis qvandoqve Histrio Romæ, at vero patina ejus insignior illo, qvippe qvam sexcentis H.-S. hoc est 15000. aureis stetisse constat: filius ei erat Clodius in amplis opibus a Parente relictus hæres, & ob stultitiam notabilis, qvi ut in gloria palati experiretur, qvid saparent margaritæ, atqve ut mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis absorbendos dedit. Verba

( $\delta$ ) lib. 2: cap. 7: ( $\epsilon$ ) confer Calepin. de Roscio ( $\zeta$ ) Plin. lib. 26: cap. 2:

ba fere sunt Plinii (7). Mimi olim fuerant qui in solo gesticulando occupabantur, eo modo dicta aut facta aliorum exprimentes, hinc figura in Rethoriticis Mimesis ~~am~~ τὰ μιμεῖσθαι, morum scilicet & gestuum verborumque representatione. Pantomimi personarum & cujuscunqve rei imitationem suscepérunt, qvod etiam nominis insinuat compositione: hi ut aliarum artium ita etiam nonnunquam nequitiarum imitatores fuerant, Hylam Pantomimum flagellis verberatum, & alibi, factiones Pantomimorum plane relegatas memorat Svet: (8) alioquin autem maxime Histriorum arte delectatos fuisse homines habet idem auctor, cuius verba hæc sunt:

(1) universam denique genus, operas aliquas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est, scilicet Augustus.

Pantomimos duplicitis fuisse generis reperire licet, alios Pantomimos Icēdicos,

ali-

(7) lib: 9. cap. 35. (8) prius vit: August. cap: 45. posterius vit: Neron. Claudio cap. 16. (1) vit: August.

alios Mythicos, de posteriori genere  
confer Plin: (\*) Memorabile est ge-  
nus quoddam artificum, veteribus di-  
ctum Phonascus, magister exercen-  
dæ vocis, pronunciationisq; modera-  
tor quod indicat Φωνασκέω, vocem ex-  
erceo sub magistro: horum munus o-  
ptime exprimit extractum quoddam ab  
inst. Rhet: Vossii, (λ) ita sonans, ac  
olim quidem corrigende voci habebant Φωνα-  
σκές, ex quorum praescripto inter alia re-  
media utebantur liquidis plasmatis hoc est  
medicamentis, unde Persius (μ)  
--- liquido cum plasmate guttur  
mobile collueris --- --- ---

Vox qvæ hoc modo emendata non est, ἄπλο-  
σος Plutarcha dicitur. Phonascum val-  
de placuisse Augusto Svet: dicit: (ν)  
Qvippe pronunciabat dulci et proprio qvo-  
dam oris sono, dabatque assidue phonasco o-  
peram: sed nonnunquam infirmatis fan-  
cibus, preconis voce ad populum concio-  
natus est. A Phonascis suam artem

di-

(\*) l. 7.c. 53. (λ) de pronunc. (μ) Sat. 1.  
(ν) cap. 84.

didicere Rhapsodi, alias carminum confectiones, sed frequentius & rectius cantatores dicti, præcipue carminum Homeri & quidem Heroicorum ut vulnus Budæus; sicque hujusmodi cantus Rhapsodia est appellata, quo nomine etiam totam poesin Homeri veterū nonnulli significabant (ξ). Quibusdam nomen Planipedum datum est, ex eo quod nudis saltarent pedibus: vocabulum hoc græce μίμησις vertunt, indeque Mimes positis instrumentis Mimicis, calceisque hoc nomen haud magni honoris impositum est, Planipedis enim argumentum vile, quippe, qui in plano Orchesistræ, non vero in suggestu scenæ agebat, nomen hujusmodi conœdiæ planipediam dixerunt. At vero nec obliviscendum Palæstricorum; quorum institutione, noster Hypocrita haud parum inclarescit, Palæstrici enim præterquam quod eos, qui palæstricam docent, significant, denotantur quoque hoc vocabulo illi qui motus gestusque

CORP.

(ξ) Lexic. Scapul.

corporis formant, demonstrantq; quo pacto, omnes corporis partes, decem-  
ter debeant moveri. De hisce Quinti-  
liani extat judicium (o): *Ne illos quidem  
reprehendendos puto, qui paulum etiam pa-  
testricis vacaverint. Non de iis loquor qui-  
bus pars vite in oleo, pars in vino con-  
sumitur: qui corporum cura mentem obru-  
erunt. Hos enim abesse ab eo quem insti-  
tuimus, quam longissime velim. Sed no-  
men idem est iis, a quibus gestus motusq;  
formantur: ut recta sint brachia, ne indo-  
ete rusticere manus, ne status indecorus,  
ne qua in proferendis pedibus incititia, ne  
caput oculique ab alia corporis inclinatione  
dissideant.* Hic maximam cernimus con-  
venientiam actionis oratoriae & Hi-  
strionicæ, quamobrem etiam a comœ-  
dis & Tragœdis hanc artem addiscere  
nont gravati sunt summi quondam O-  
ratores: ideoque jam dilucidius *Hypocri-  
seos modum, in quibus illa regnet par-  
tibus, & de iis leges Rhetorum ex-  
ponet.*

CAP.

(o) lib. I. cap. 10.

## CAP. III.

**D**E modo Hypocriseos in aprico est sententia Val; Max: ( $\pi$ ) nostro instituto maxime inserviens: Eloquentie autem ornamenta in pronunciatione apta, & convenienti motu corporis consistunt, quibus cum se instruxit, tribus modis homines aggreditur, animos eorum ipsa inundando, horum alteri aures, alteri oculos permulcendos tradendo. Hic duas proponit partes, pronunciationem scil: aptam, & convenientem motum corporis: hæc ipsa autem ut commode ab oratoribus adhibeantur, singularis quidem non est concessum: multis impedimento est vitium naturæ, quibusdam enim angustum pectus, vox infirma, aliis corporis conformatio inepta, quæ & similia, Hypocriti ornamenta non addunt sed eam iisdem spoliant. ( $\rho$ ) Legimus Demosthenem eo vi-  
tio laborasse, ut R. primam artis suæ literam non efferre posset, ideoque ir-

C rita.

( $\pi$ ) Lib. 8. c. 10. ( $\rho$ ) Inst. Vossi de pron.

ritatos canes s̄epissime auscultasse, & posito sub linguam scrupulo, dictiones R. continentes identidem pronunciasse, quō facilius scrupulum naturæ cogere. Cum præterea ejus indolis esset, ut strepitum multitudinis difficilime ferret, in littore maris maxime tempestuosī, orationem pervolvens, tumultum spernere addidicit. Ne vero quis naturam ipsam mox facere *Hypocritam*, persuasum habeat: isti soli totum tribuens plane aberrat: (σ) *Natura enim sine disciplina cœca est, disciplina sine natura mutita, exercitatio autem sine utraque imperfecta.* Oportet igitur oratorem ad differentiam argumentorum loci & temporis, suam Hypocrisim, cum qvoad vocem tum qvoad singulas corporis partes accuratè accommodare. Qvod vero ad prius, siqvidem vox præcipue candida & nigra appellatur, translatione ductâ ab oculis ad aures, ita studebit orator potiorem, utpote puram, semper tenere; eamque jucundè non temerè flectere; ne sermo imparibus

spatiis & sonis subsultans, instar inaequium pedum claudicet. Relinquentius domum Gracchus fistulator, qui rauco Demostheni signa intensionis & remissionis fistulâ eburneâ dabat, ne forte ultra modum clamitans, pecudes videretur venari orator; & alias pro ratione circumstantiarum moderanda vox: sicut enim aggressis clamor terribilis, ita levis susurratio velut nullius jucunditatis, contemnenda. Interdum quidem placet vox flebilis & incitata, ut in miseratione iracundiaque: & oportet bonum *Hypoeritam* observare, qui affectus conditioni praesenti, ritè accommodari possit: quis non summâ curâ, miserrime & festinanter, haec verba proferret. *Quo me miserum conferam?*

*Quo vertam in capitoliumne? an domum?* Ideoque merito reprehenditur Carneades Stoicus, vocem temperare nescius, qui ipse ideo increpitus respondisse fertur (τ): *da mibi vocis modum: tum, alter: do eum qui tecum sermocinatur.* Statum

(τ) *Caus. l. 9. c. 3.*

tum corporis quod attinet, causa naturali, quo argumento utitur Talæus, (v) corpus erectum & excelsum erit, etenim natura (φ)

*Os homini sublime dedit, cælumq; tueri  
Jussu & erectos ad sidera tollere vultus.*

Inconstantia autem & perpetua vacillatio quam indecora sit, argumento est Curionis agitatio, (x) quam Julius plane despexit, quærens quis e lintre loqueretur. Ridicula etiam est sententia de ridiculo motu ejusdem Curionis, (ψ) qui Octavio propter dolorem artuum fasciis devincto & medicamentis delibuto, multa inconvenienti jactatione dixit: hinc Sici-nius, *Nunquam, inquit, Octavi, colle-gæ tuo gratiam referes, qui nisi se suo more, jactavisset, hodie te istuc muscæ comedissent.* Ratio status capitis plane cum illa corporis convenit, erit namque caput rectum, ita tamen ut evitentur signa superbiæ; minime autem supinum & a-

*ctu-*

(v) Cap: 2. (φ) Ovid: Metamorph: l:1.  
(x) Tal: C: 8. (ψ) Ibid:

et uosum, interim tamen non vitio ver-  
titur modesta demissio, in causis ple-  
rumque mœstis & luctuosis admissa.  
Frontem & oculos ad modestiam com-  
ponere, civile est: variant nihilominus  
& illi pro rei natura, cui ipsa actio con-  
formanda. Hæc ipsa organa sunt per  
quæ maxime animus emanat ac per-  
spicitur, quamobrem summa ope quemque  
niti decet, ne in hisce errorem com-  
mittat, rideaturque cum malo illo *Hy-  
pocrira* (ω), qui clamitans *O Jupiter*  
terram aspexit, in verbis, *O terra*, o-  
culos sustulit, quod quidem quam in-  
eptum & ridiculum sit, cuivis facile  
est intelligere, ille etenim se non ali-  
ter gessit, quam si quis rebus mœstis  
lætitiam præ se ferret, contra vero re-  
bus lætis vultum indueret tristem. Hu-  
meri ut sint æqui & recti, necesse est,  
qui, si alleventur aut contrahantur, id  
servile esse dicit Vossius: (α) vitium  
nimicæ jaæstationis humororum in De-  
mosthene notavimus prius, quo circa  
recto

(ω) *Woff*: L. 6. (α) *Inst*: L. 6. c. 4.

recto ordine descendimus ad brachia, quorum projectionem moderatam esse oportet. Unde Cicero pro Cœlio. *Nobis olim annus erat unus, ad cibendum brachium toga, constitutus, ut exercitatione, ludoque campestri tunicati uteremur.* De manibus quanta vis gestus in iisdem sita sit, multa haudquam negligenda, multi afferunt Rethores: etenim affirmant, Cicerone & Quintiliano testibus actionem absque motu manuum truncam ac debilem videri, quod optime observarat Talæus, ( $\beta$ ) qui, ceteræ, inquit, *partes loquentem adjuvant, manus prope ipse loquantur.* In testimonium istius, adducit Vossius ( $\gamma$ ) Demetrium Cynicum loquentem, cum Pantomimum Martis & Veneris adulterium saltantem vidisset, *videris ipsis manibus loqui.* Motus sinistræ, nisi se dextræ adjunixerit, non competit: hujus autem motus erit frequentissimus & varius, nunc palmâ uti licet nunc pugno, qui in ira præsertim stringendus: eoqve pul.

( $\beta$ ) c. 10 ( $\gamma$ ) Inst. L. 6.

pulpitum percuttiendum, censem, & recentiores volunt Prædicatores (<sup>d</sup>) junctæ vero manus si sint attollendæ submittendæ aut protendendæ, argumentum & usus dabunt. Si quid de gestu digitorum dicendum sit, est & ille ubi vis usitatissimus, nunc cæteris præter indicem complicatis demonstratiōnis signum est, nunc index & medius soli erecti, juramento præstanto inserviunt, nec non tantam utilitatem præbuit hominibus gesticulatio digitorum, ut singuli digitus & articuli, singulos numeros veteribus denotarent, ceu de hac re prolixè & methodice tractat Causinus. (<sup>e</sup>) Ventrem projiceret, pectusque cædere, non tam probatur & admittitur quam femur ferire, nec hoc nisi indignatos ad excitandum auditorem, decet. Inconstantia pedum plane improbatur, licet supplosionem interdum opportunam centeant Rhetores. Testudineus gradus si rarissime in locis nonnullis permisus sit, caveat tameti

(<sup>d</sup>) *Jac. Reneccius l. 3. c. 3.* (<sup>e</sup>) *L. 9.*

tamen orator ne ad cursum concitetur, ceu (ζ) id vitium Antisophistæ suo quondam Flavius Virginius exprobravit, quærens qvot millia passuum declamasset. Et hujusmodi occasionibus Cassius Severus (η), eo est perductus, ut lineam duceret, quæ instar termini esset, certo loco & limitibus oratorem continentis. Hisce singulis ut lucem addamus, placet a Reneccio (θ) breviter extrahere ea, quæ usum actionis oratoriæ, in exemplo monstrant, in quem finem repetit nominatus auctor, cum partem orationis pro Archia Poeta, tum gestus a Cicerone circa eandem adhibitos. In antecessum autem monendum, qui gestus observandi erunt oraturo, postquam modeste pulpitum ascenderat: tum omnino oportet observare auditores, discernere ac videre ubi sedeant Prælati, ubi Magistratus ubi alii, ut si quando ad hoc vel illud genus hominum, conversio aut

(ζ) ut est in Tal. l. 2. c. 3. (η) Ibidem  
(θ) L. ult.

aut sermo sit faciendus, nihil in processu peccetur. Deinde ad ductum  
 „ seqventis exempli perget. *Si quid est*  
 „ *in me ingenii* &c: initium est verecun-  
 „ dum & contracto sono pronuncian-  
 „ dum. *in me.* Orator se, vel manu,  
 „ vel digito ostendat. *Judices.* oculi  
 „ flectendi sunt ad auditores, qui et-  
 „ iam manu monstrandi. *Quod sentio*  
 „ *quam sit exiguum:* Tenera vox &  
 „ magis contracta, & verecunda sit,  
 „ quæ pene flexibilis. *In quâ me non*  
 „ *infiteor mediocriter esse versatum* &c. vox  
 „ plenior. Aut si hujuscē rei ratio aliqua  
 „ ab optimarum artium studiis & disciplina  
 „ profecta &c: vox magis intendenda.  
 „ *Earum rerum omnium* &c: vox est for-  
 „ tis, & ibi, *Imprimis hic A: Licinius.*  
 „ cum indicationis gestu. *Nam quoad* &c.  
 „ hic vox lata est & fusa cum aliqua  
 „ intentione. *Quod si hæc vox hujus hor-*  
 „ *tatu* &c. vox est clara cum gestu de-  
 „ monstrantis: quæ tamen utraque in  
 „ altero membro: *Huic profecto ipse* &c:  
 „ aucta intenditur. *Ac ne quis* &c: vox

„ hic moderata occupationibus conve-  
 „ niens. Interrogatio est altior , sub-  
 „ jecta responsio remissior & latior.  
 „ Interrogatio agetur plerumq; dextram  
 „ ad nos converlam paululum attollendo.  
 „ Responsio temperata agetur , manu  
 „ prona & laxata. Hæc nemo forte probe-  
 nisi adjuncta ipsa oratione Ciceronis  
 intellexerit , siquidem hic non totæ sen-  
 tentiæ sed earum initia ad evitandam  
 injuriam prolixitatis , annotantur. Ista  
 de modo *Hypocriseos* obiter ex auctori-  
 bus libavimus , quæ cum insufficienter  
 quidem de singulis dicta sint ; lectorem  
 ad Causinum , Vossium aliquosque remit-  
 timus , qui hæc ipsa expeditius prose-  
 cuti sunt : nos vero ulteriora sic ordi-  
 ne excipiunt .

#### CAP. IV.

**J**AM cum ad tantum fastigium excre-  
 verit *Hypocriseos* vis ut mira compla-  
 centia cuiuscunq; generis & ordinis  
 homines afficiat , potissimum agendum  
 erit de eo , cur vulgus minus rationibus  
 atten-

attendens, *Hypocrisi* maxime cedat, & in illâ solâ omnem fidem collocet: hoc sane non mirum videbitur: ut enim affectus, & intelligentes novent, ita non multi laboris erit in eruditæ plebi quidvis persuadere, quippe quæ sola teste Arist: ( 1 ) affectibus vivit, proprias voluptates & ea ex quibus existit, persequitur ( x ). *Non est enim consilium in Vulgo, non ratio, non discrimen non diligentia.* Quamobrem & hoc genuso hominum concione docta non tam moveretur quam affectuosa: hanc, utpote suæ indoli optime accommodatam intelligit, summisque effert laudibus: concessionem autem doctam non item, nam ex ea nil utilitatis capit, ipse qui indutus est, hanc ob causam oratores fortis inferioris sæpe doctis & viris quadratis probabiliores sunt, nec tam hi quam illi suo munere digni & ad id idonei vulgo censemur. Illud vero unde fluat, videndum est quod viliores isti,

( 1 ) *De moribus l. 10, c. 10* ( x ) *Cicero pro Plancio c. 4*

isti eruditione minus præditi, juxta proverbiū, quo imperitiores eo audaciores sint, atque ita singula confundunt, jam probabilitia pro absolutis venditant, jam a scopo aberrant, sæpe allegorias ridiculas & ambages inutiles velut magni momenti adhibent, & in ea quæ proferrunt, summa vehementia nituntur, quo fit, ut cujuscunque nationis homines licet linguae ignari, ex affectibus tamen, justo maiores Hypocritas, summos oratores & concionatores prædicent, nihil aestimantes, tametsi docti sua concinne proferant, rem propriissime exponent, argumentaque optime collinent; ipsi nihilominus homines vulgares tam perversi & procaces sunt, ut de unaquaque re pronuncient, quamquam rationes alias minime videant: hi quidquid boni agunt ob metum pœnæ agunt, ceu id probat Aristot: (λ) Accedit & hoc ad probationem quæstionis, cur vulgus affectuofam magis laudet concionem quam doctam, nimirum,

(λ) Eudem: l. i. c. 3.

rum, si objectum egregium pèr varia organa menti representetur, si quid bene sapiat, placide item tractetur, jucundum spargat odorem, lepideque oculos afficiat, quis idipsum non experiretur summam complacentiam excitare, majorem sane quam si per unū organum intret: par est ratio opinio-  
nis vulgi, qui auditu etsi orationis do-  
ctissimæ, non tam commovetur, quam  
visu motuum & gestuum. Hanc ob-  
causam oratori aliquid profuturo ma-  
xime incumbit; ut omnes fere sensus  
auditorum occupet, si modo persuasio  
apud eos locum obtineat; cui fini con-  
ducit auctoritatem servare, decentem  
cultum observare, pronunciationem ge-  
stusque moderari, sed de his prius,  
igitur pergendum ad

### CAP. V.

**H**ic jam minime ambigendum quin  
facile innotescat, qualis futurus  
sit noster *Hypocrita*. In orationi-  
bus, concionibus, aliisque professio-  
nibus,

nibus, quæ pronunciatione promoven-  
tur, licet deprehendere *Hypocritam*,  
prout a nobis describitur; ast bonitatis  
nomine non insigniendi alii, nisi qui  
rite munus suum obeunt, ceu id opti-  
me prosecutus est Hegesia Cyrenaicus  
Philosophus, siquidem eum persuadendi  
vis maxime commendat; qui aliquando,  
memorante Val: Max: ( μ ) sit mala  
vitæ representabat, ut eorum miseranda i-  
magine, audientium pectoribus inserta, vo-  
luntariæ mortis oppetendæ cupiditatem inge-  
neraret: tantum autem severitate & con-  
stantia sua valuit, quippe queis ipsa  
bonitas & laus Hypocriseos adjuvatur  
augeturque; quapropter non solum  
sufficit oratori, affectatio externa, sed  
ut rei consentiat animus, cum exter-  
nis convenientiæ interna: cor effatorum  
sit consciuum, e re maxime est: aliter  
si fit, moraliter peccatur, Hypocrisis  
tum ista, non virtus est, sed maxime  
vitio vertitur, siquidem & hoc modo  
affecti non solum falsa pro veris ven-  
di-

ditant, sed seipsoſ ſæpiſſime lædunt cun-  
cta simulantes alios ut fallant ſe pro-  
dunt, non ſecus ac Pſeudopafeores in-  
duti vefe ovili, at corde lupi rapaces,  
qui e fructibus noſcitantur, ut Christus  
in Evang: eorum quidem moſ eſt ho-  
mīnes blande alloqui cunctaque ore  
commendare, attamen ea ipſa abomi-  
nantur & de quibusviſ ſinistra cogitant,  
quod certe citra invidiæ notam facere  
nequeunt, tametſi ſumma exinde re-  
dundare ſibi putent voluptatem. Jam  
igitur non curæ erit hæc Hypocriſis  
noſtro Hypocritæ, qui ut dicendi pe-  
ritus erit, ita ſimulatione uti tanto mi-  
nus ei conveniens eſt, quanto ea ipſa  
nullatenus indiget, nec debet: verū  
neceſſe eſt ut ea quæ aliis perluadebit,  
prius perluadeat ſibi, prodiſ namque  
ſe simulatio quantumviſ occultetur, nec  
erit poſſibile quin titubet diſcio, cum  
ab animo verba diſſentiunt. Ex hiſce  
facile patebit quam ſit noſter Hypo-  
crita ab omni vitio immunis: muſo  
minus oratorem vituperare fas eſt,  
cum

cum non possit Hypocrisi carere: id ipsum licet a quoquam non admitti speremus, paulum tamen inhæreamus quæstioni: Utrum necesse sit Rhetorem esse virum bonum? talem autem cum proponimus quæstionem, ne forte vel nos de affirmatione istius videamur dubitare, mox tanto magis consultum ducimus hanc suspicionem a quovis excutere, quanto & nos pro viri boni officio factum putamus, oratorem hac in parte defensum iri. Præcipue autem oratorem commendat dignitas illa Eloquentiæ, qua omnino bonus instructus esse tenetur, & certe prorsus eximatur animo, Eloquentiam rerum pulcherrimam ullum cum vitiis mentis habere locum aut cum iisdem misceri posse; facultas itaque dicendi si malis contingit, etiam ne ipsa mala judicanda absit! quod nec eum ausim asleverare judicaturum, qui Eloquentiam dunt taxat audierat nominari. Hic vero nec defunt qui licet laudem oratoris non protinus impugnent, omnimode tamen

tamen nostræ assertioni non consentiunt.  
In primis probatum eunt oratores aliquando ipsam veritatem expugnare, ceu in detensionibus causarum accidere solet, ubi vis dicendi plurimum valet; adeoqve sic judicem in contrariam planè sententiam perduci, porro causis bonis nihil conferre bonitatem defensoris, illas namqve veritatem ipsam ultro tueri. Horum autem convincenda est temeritas; Qvis inficietur omnem oratorem id semper agere, ut ea qvæ proponat, vera honestaqve videantur judici: hoc autem uter efficiat bonus an malus? minime vero malus suspicio enim omnem fidem tollit. Qvod attinet ea qvibus contendunt: oratorem interdum vi dicendi veritatem expugnare, aliosqve fallere, necessum eqvidem habemus fateri *mentiri non esse viri boni*, attamen quidqvam horum oratoribus exprobrari non potest; hi enim si quandoqve dolis uti deprehendantur, id non tam prava ex consuetudine, quam simulatione summa necessitate

eam exigente admittunt, ut si ho-  
stis pro salute patriæ esset fallendus,  
gladiator ab homine occidendo aver-  
tendus, aliquid in salutem reipublicæ  
agendum, hujusmodi expeditiones cum  
citra simulationem non succederent,  
auctor a quopiam considerato non es-  
set carpendus: homines etiam interfici-  
cere nonnunquam virtus est, idcirco  
non omne quod apparet malum vi-  
detur per se malum est: neque adeo  
attendendum quid agat, qualemque  
causam defendat vir bonus, sed quare  
& quae mente quid fiat. Hisce similia,  
si patraverit orator, eo evadit clarior,  
nec ulla ex parte bonitas destruitur.  
Hæc tamen præcautio ei erit observan-  
da, ne id crebro faciat, quod nec in-  
tendimus, nisi maxime urgente rerum  
statu. Et tum stat sententia, quod o-  
rator sit vir bonus dicendi peritus.  
Porro intuebimur quam infestæ non-  
nullæ olim gentes fuerant oratoribus  
ex eo quod hi interdum malas agere  
causas crederentur, adeo autem ut ar-  
tem

tem oratoriam non modo despixerint  
 verum eam penitus relegarint idque  
 facientes ipsis viribus oratoriis usi sunt,  
 ceu in eo stultitiam suam præprimis  
 manifestarunt Lacedæmonii. (v). Athenenses hac in re ita erant persuasi,  
 qvod posset dictio fieri ~~ακεν~~ ~~προστιθεντες~~  
~~και~~ ~~προστιθεντες~~ sciebant namque in istis  
 maximam persuasionis vim consistere,  
 ideoque orationem truncam recitari ma-  
 luerunt unde causas ipsi & bonas &  
 malas discernerent, ne forte sua arte  
 orator præter opinionem, illorum men-  
 tem perturbaret: ~~προστιθεντες~~ enim, ut præ-  
 ladium musici, oratores, anteqvam cau-  
 sas exordiantur adhibent, qvod eme-  
 rendi favoris ergo & ad conciliandos  
 sibi auditorum animos faciunt, Affe-  
 ctus autem quantum valeant, nemo  
 jam facile non intelligit, Qvod vero  
 hæc præstantissimâ virtute ita abusi sint,  
 non minus deridendi sunt quam rejiciendi; sit orator vir bonus, cui omnis  
 fides adhibenda, cuique salus nostra.

E 2

tuic

(v) Quint: l. 2. c. 17.

tutò committenda, ut ait Cicero (ξ) & sit è confortio eorum qui ædepol non studebunt rem pub: turbare, neque civitatum status evertere. <sup>Dāgā</sup> qvod prorsus abrogarint, iisdem ne commoverentur, indignissimum sane est; nonnè orationes quibus affectus cientur, perterritos militum animos, freqenter à metu revocarunt? nonnè pugnandi pericula subeuntibus, laudem vitâ potiorem esse persuaderunt? Quid diliminis inter homines & bruta nî ratio intercesserit, nil autem per se efficit ratio, nisi ea quæ mente concepiamus, pronunciatione & gestu promantur, aliisq; communicentur: non igitur habendum malum, quo bene uti licet. Ultimò claudamus cum Fab: Quintil: (ο) Nec vero me Lacedemonii nec Athenienses magis moverint, quam populus Romanus, apud quem summa semper orationis dignitas fuit. Evidem nec urbium conditores reor aliter effecturos fuisse, ut vaga illa multitu-

do

(ξ) De Offic, l. II. (ο) lib. 2. c. 17.

do coiret in populos, nisi docta voce commota: nec legum repertores sine summa vi orandi consecutos, ut se ipsi homines ad servitutem juris adstringerent. Quia ipsa vite precepta, etiamsi natura sunt honesta, plus tamen ad formandas mentes valent quoties pulchritudinem rerum, claritas orationis illuminat. Hic jam filum scriptionis abrumpo: si vel aliquid horum Tibi Lector Benigne placuit, mihi satis est; non mirum si a juvene, omne nequeat perfectum proficisci.

Jam posita huic operi cū sint fastigia, CHRISTE,  
Laus tibi debetur, gloria summa simul.



Dena

Dem Herrn RESPONDENTEN,  
Als seinem Vettern und vertreulich-  
sien Bruder  
disputirenden  
DE BONO HYPOCRITA.

Wie viel die Redner-Kunst im allgemeinen Wesen

Dem Menschen Mün schaft ist allen wol bewusst:  
Wie sie die Herze zwinge und dringer in die brust;  
Ist nicht von nothen hier in meiner Schrift zu lesen.

Doch pflegen meistens heils die Leute nicht erwegen  
Der Wörter prangend Zier; wenn der da  
reden soll

Die Stimme/ Augen/ Leib dat nach nicht  
schicket wol.

Der selbst ist unbewegt/ kan andre kaum bewegen.  
Der selbst nicht habende kan andern selten geben.

Wer Regung schöpfen will/ muß dero cheit-  
haft seyn:

Und die gefundne Sach in Ordnung  
sezzen sein;

Denn muß nach Wörter Pracht/ der Leib sich  
weislich heben.

Wie solches ist zu thun/ Her Bruder Ihr hier zeigeet/  
Uns Ichrend' wie die Stimme/ die Sitten/  
und der Spruch/

Ben

Wen sic | gleichförmig / thun dem Redner be-  
sten Smuch:

Darumb man billich sich zu Euren Lobe neige.

Und weil Ihr selbige was Ihr geschrieben können  
Woll praktic ren! muß ein Gut HYPOCRITA  
Euch gebē bessern Kühn den ich gehan hab das  
Dem noch mahl eins wird Freud ob Eurem  
Glaube gönnet!!

Schriebe dieses  
DAN: JUSLENIUS.

Πρὸς

Τὸν νεανίσκον τῷ Φανέα,  
Κύριον ἈΛΕΞΑΝΔΡΟΝ τῷ ΚΕΠΠΑΙΡΟΝ,  
Φίλουμενοφίλέα σύγχαρια.

**T**ὴν διδαχὴν διαὶ ἐρωτέυη; παιδευτὸς ἀν, ὁ  
Φίλε ἄντε, καὶ, αφοσποιῆ ἔναντι τῶν εἰ-  
δῶν· τὴν διδαχὴν Φημι, διαπὲ τῶν εἰδῶν, τὴν  
ἀδένα λαθεῖν ικανὴν ἀλλ' ὡς ἀτ τῇ ἡλίσ α-  
κτῖνες αφείνεσθ, ἢν γε παρόντις πεπαιδευ-  
μένῳ Διελογισμῷ πᾶσι γνοε, ζεις τε καὶ φα-  
νέρον ποιεῖ. Συγχάρω δὲ σοι σὺ τάχι, Φίλε  
ἀγαπητή, καὶ τῦτο τὸ ἐντύχημα αφοσεύχομαν  
ἴνα τὸν τῆς σπουδῆς σὺ ὠραιότερο. καὶ παν  
άκκαρτή ζητεῖ καὶ ἐρρώμενο τόχης!

μετὰ τὸ παύθητ ἔγειρε φεν  
πλαστρὸν οὐ Βάλιν.

Eidem

**E**s tamen equidem Kepplere tibi laus magna  
futura,  
Quod parvis doctisque tuis intexere charti.  
Pergis Hypocriseos fructusque modosque fre-  
quentes.

Naturam egregie monstras sic indolis & vam,  
Quae non est contenta, dies quod conterit omnes  
In studiis, tempus confert quodque omne Ca-  
mænis,

Postulat ast etiam specimen quod comp  
ipsum,

Una ne nomen pereat cum tempore vita.

Hoc opus egregium fructus præstabit eosdem  
At tuas faciet laudes famamque perennes.  
Gratulor ergo Tibi, atque adyis ex pectoris  
opio,

ipsa tuis faveat coeli ut clementia cœptis !!

Gratulabundus apposuit

JOH. WANÆUS.

Sat. Fin.



1479  
1462-29

16 - 8